

3807
EXERCITATIO JURIDICA, 75 23

Ex libro decimo quinto Digestorum 1693

DE PECULIO,

Sub auspiciis supremi Numinis,

Ex

Consensu Magnifici Jctorum ordinis,

PRÆSIDE

EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO
DOMINO,

DN. JOHANNNE Stein /

U. J. D. & P. P.

Fautore, & Institutore suo dignissimo;

Propugnatore verò Auctore

JOHANNNE STANISLAO

KALINSKI, Eqv. Pol.

In Albertina Regiomonti Academia,

AUDITORIO MAJORI

Ad ventilandum Proposita, 15

Anno M DC XCIII. die Octobris.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ELECTORIS BRANDENBURGICI,
&c. &c. &c.

Summis in Prussia Regentibus & Consiliariis
Statu Eminentissimis,

PER-ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS ET GENEROSISSIMIS
DOMINIS,

DN. JOHANNI ERNESTO
à **WALLENROD,**

Supremo Provinciae Magistro, Hereditario Domino in *Bachossen /*
Preckelwitz / Aldstatt / Königssee / Frgelack / Neuendorff /
Willkienen / Stollen / &c. &c.

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO
Sinc à **Sinckenstein /**

Supremo Burggrabio, Hereditario Domino in *Roggens-*
hausen / Linckehnen / &c. &c.

DN. GEORGIO FRIDERICO
à **Kreyken /**

Supremo Prussiae Cancellario, Summi Tribunalis Praesidi, Feudorum
Directori, Hereditario Domino in *Weslinen / Wolffshöfen / Pohren /*
Kofelinen / Weselshöfen / Federau / &c. &c.

DN. OTTONI WILHELMO
à **Perbandt /**

Supremo Mareschallo, Hereditario Domino in *Liften /*
Nauten / Grescheinen / &c. &c.

MAGNIS COELI BORUSSICI LUMINARIBUS,
AUGUSTAE MAJESTATIS ELECTORALIS SUCCOLATORIBUS,
EXANTLATIS PATRIAE ATLANTIBUS,

PATRONIS AC MECOENATIBUS

SALUTEM, CUM HOMAGIO DEMISSISSIMÆ
SUBJECTIONIS.



Tipendarios affectus, qui Vestre gloriæ, ac
palmari Nomini in hac quasi Castrensi lite-
rarum arena militant, cum tenuibus de
Peculio paginis Vobis presentamus ILLU-
STRISSIMI DOMINI. Nempe non
ignarus militiæ, noster, quantumvis extra
aciem, amor; obit & ille vigiliis, cum ad omnem Vestrum
excubat nutum; desudat inter bellicos æstus, cum aut Aborigi-
num Vestrorum victorias & bella relegit, aut ipse grandiori
stylo Vos in historias transferre laborat; Adeoque præter Martis
sacramentum, quasi in castris, dum in sacro Palladis agone
stipendia meretur; an potius etiam immeritus ea à Vobis acci-
pit? Unde cum offerimus de Peculio Theses, peculiaribus jam
præoccupamur gratiis, in quorum manibus pusillæ sortes, ac
fortune nostræ repositæ sunt; futurâ primò, illarum usum fru-
ctum spe administrante, relicto penes Vestrum Regimen
Dominio. Nisi ideò à natura Peculii nostræ degenerarent
sortes, quòd crescere quidem inter ulnas fauorum Vestrorum
possint; nunquam decrescere, augeri semper, exhauriri nun-
quam. Imò nec aliò cum Juridica declinare velitatione potui-
mus, quàm ad sacratissimos Legum Arbitros; Ipsa Justitiæ
tutela, Juris nostri protectio, Jus omne Vobis ad gloriam fun-
dat, sub quibus nec bono licuit esse miserum, nec malo felicem.

A 2

Effe-

*Effecistis indefesso Æquitatis studio, perpetuâ scelerum proscri-
ptione, ut SERENISSIMUS PRINCEPS ELECTOR (ne
solus id sibi Justinianus vendicaret) Vobis Areopago Prusie
Præsidentibus, tam Juris Religiosissimus, quàm victis hosti-
bus Triumphator magnificus, totâ declametur Europâ.
Quidni enim liceat*

— — — Et sine sanguinis haustu

Mitia legitimo sub Judice bella movere?

Hinc quoque servati contingit gloria civis,

Altaque victrices intexunt limina palmæ.

Lucan. in
Poém. ad Cal-
phur. Pison.

*Certè Vestre in Curis vigilantie debemus, quòd inquilina Bo-
russie Astræa, aut nostros limites, aut terram non fugiat,
adeoque,*

Firmatur Juris senium, priscamque resumunt

Canitiem leges.

Claud. de Cons. Honor.

*Hoc tamen præcipuum Vestræ laudis argumentum est, quòd
pari Leges, ac studiosos Legum prosequimini amore. Pulcher-
rima hæc Mæcenatum commendatio, cum illud literarum stu-
dium, quod in publico administrant, propositis muneribus,
aliorum animis insinuare nituntur. Munificentie igitur Vestræ
byrogliphicon exhibemus, dum hanc Dissertationem de Peculio,
ab herili vel Patria liberalitate profecto, Vestro devovemus
Honori,*

Et singulariter,

**Vestrarum Per-Illustrium
Dominationum**

Subjunctissimus Clientis

J. S. K.

DEO AUSPICE.

§. I.

*Quis fuerit motus, tenuis vel origo Peculii?
Fertur id insignis constituisse favor.*



Rimum & peculiare in hac de Peculio disceptatione sibi vendicant encomium, benevola Dominorum in Servos largitio, sollicitus Parentum in Liberos amor, profusa in subditos coronatorum Numinum, (si Principes benè Diis æquamus) liberalitas, munifica in benemeritos Illustrium Mecœnatum manus. Nempe ex his, quasi uberrimis fontibus, & placida scaturigine, omnis Peculiorum dimanat, aliturque vigor. Quid enim aliud nudam Dominorum & Parentum impellit, ac devincit voluntatem, ut in suis bonis, aliquid non suum, per separationem gratuitam, esse patiantur? quàm benignitas, & amor. *Nam cum Peculium totum adimere, vel augere, vel minuere Dominus possit, l. 4. pr. ff. b. t.* imò à beneplacito ejus pendeat, suis rationibus, & mercibus peculium inducere, aut rursus pro lubitu perimere; hinc unicum velle erit principium constitutum omnis Peculii. *arg. l. 8. ff. b. t.* illudque semper singularis benevolentiae documentum est. Dicatur quantumvis in sinu Peculii Patrum, ac Dominorum adolescere commodum, *Struv. in syntag. 7. C. exerc. 20. tb. 60.* etiam sine hac rationum separatione, sine Peculio, inquam, quidquid servi, vel liberi, prospera fortunæ aleâ, vel calloso labore coaceruent, Dominorum est, Patrum est. *pr. Inst. per. quas. Pers. cuique acqu.* Quid verò de illo Peculiorum genere, quod ex liberalitate Principum, donatione Mecœnatum oritur? extra controversiam est,

A 3

est,

est, illud pro causa impulsiva clementiam, & gratiam habere. Cùm enim Imp. Constantinus. *l. omnes. un. C. de Castr. omn. pal. Pec.* vocat Peculium, quod donis Caesarum consecuti fuerint ii, qui in Palatio morantur, dum certis privilegiis illos superfundunt; quid aliud donorum nomine? quid Privilegiorum beneficio, quàm fauores Principum exprimere nititur? quos Viri in Aulis & Curiis emeriti obtinent. *l. 1. pr. ff. de donat.* Et certè liberalitas hæc ac munificentia, Divinitatis quædam particula est, *l. 3. ff. de const. Princ. Beneficium Imperatoris à Divina ejus indulgentia proficiscitur.* His Seneca quoque in Trag. Act. 2. Med. accinit,

- - Hoc Reges habent

Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies,

Prodesse miseris,

Non minùs huic syllabo inferendos putaverimus Divos Mæcenates; qui nullâ sanguinis necessitudine, nullâ obæрати pectoris necessitate, sed mero eruditionis & boni publici intuitu, viros artibus literariis exultos, Reip. proficuos, in suis bonis, ac Patrimoniis Peculiari beneficio dignantur: usuq; rerum, & opibus potentes

Exuberantis flumina dextera,

Per sacra Musarum refundunt

Atria, Palladiosque postes.

Sarb. l. 2. O. 7.

Illorum panegyri subscribere Barclajus in Euphor. videtur: Magni & prodigi in Musas homines, scribentium pennis ab oblivionis nubibus, ad aternitatis sudum euebuntur. Et jam conclusum stare, omne peculium ex gratia & liberalitate proficisci, nisi Peculia, servorum parsimoniâ quæsitâ, novæ quæstioni occasionem facerent *l. 39. ff. b. t. l. omnes. vn. C. de Castr. omn. Pal. Pecul.* nihilominùs hæc quoque Peculia ex largitione Dominorum fluere certum est. Cùm enim Do-

minu,

minus sit vitæ & necis servi arbiter (licet Anton. Imp. eam temperaverit severitatem §. 2. *J. de his qui sui l. al. jur.*) per consequens & ejus fortunæ decimo sudore comparatæ liber moderator erit. §. 3. *Inst. per. qu. pers. cuique acqu.* ubi dicitur: *ipse Servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest.* Ac proinde licet ex parsimonia frugalis mensæ quidpiam servus corraserit, adhuc benignitas Domini est, si id à rationibus suis segregatum, & in suo patrimonio, non suum esse patiatur. *l. 39. ff. h. t.* Et hoc fundamentum Peculii ponimus, eò firmiter, quòd etiam Principum nixum soliis: nunc naturam & essentiam illius in discrimen quæstionis vocabimus.

§. II.

Unde trahunt vires, clarumque Peculia nomen?

Totum, res illis, esse pusilla dedit.

PECULIUM accipitur vel latè, & denotat proprium cujusque Patrimonium. *l. 16. ff. ad Sc. l. Trebell.*; quo sensu & Paterfamilias peculium possidere dici potest. Vel strictè, pro pusillo filii vel servi patrimonio *l. 5. §. 3. ff. de Pecul.*; uti hîc; quo sensu variè à Jctis describitur. Secundùm Tuberonem *l. 5. §. ult. h. t.* est id, quod Servus Domini permissu separatum à rationibus Dominicis habet, deducto inde, si quid Domino debetur: quæ quidem definitio essentialis est, cum essentiam servilis Peculii rectè exprimat, sed diminuta, quia alterum tantùm Peculii subjectum continet, Servos scilicet, non filios. Altera ab Ulpiano *d. l. 5. §. 3. ff. eod. tradita*: Peculium dictum quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum, est tantùm nominis, non rei; ideoque neutri acquiescimus. Consultius *Serv. in Syntag. Jur. Cæsar. 20. lb. 61. Almers in manuali Jur. voc. Pecul.* huic definitioni intermiscet filium, familias: *Quod Servus, sive filius familias Domini sive Patris permissu. &c.* Interim salvâ illo-

illorum autoritate, nobis definitio magis arridet, quam *Lauterb. exhibet in Comp. Jur. ad tit. de Pecul. Hopp. in Exam. Inst. ad tit. per qu. pers. cuique, acquir. q. 3. Peculium est patrimonium pusillum, quod illi, qui in alterius potestate sunt, à rationibus illorum, in quorum potestate existunt, separatim habent.* Hic enim nomen potestatis tam servum, quam filium complectitur, *ex l. 1. §. 5. ff. b. t. Potestatis verbum communiter accipiendum est, tam in filio, quam in Servo.* Imò ratione id quoque probari potest: quoniam eousquè dicuntur esse Peculia servorum & filiorum, quousquè in potestate sunt Dominica & Paterna; quâ sublatâ vel per emancipationem, vel per manumissionem, Peculium quoque expirat. *l. 1. §. 1. 3. 4. ff. Quand. de pecul. act. anal. est. Zoes. in Comment. ad Pand. d. t. Habn. in observ. theor. pract. d. t.* Itaque cum illa definitio sit optima, quæ omnia inferiora comprehendit, dicimus, datam postremò definitionem Peculii aliis præcellere.

§. III.

*Vel Dominus servum, vel Natum mercibus uti
Assiduâ Genitor sedulitate jubet.*

Dividitur Peculium, quòd aliud sit servorum, aliud filiorum familias. Illud est, quod servi Dominorum permisso à rationibus illorum, quoad administrationem separatim habent. *Laut. in Comp. Jur. de Pecul.* Cui respondet Peculium filii fam. profectitium; sicut enim hoc peculium illi, qui in potestate filium, vel servum habet, originem debet; ita quoque effectus peculiares ratione utriusque in hoc peculio iidem sunt. Sic enim acquirit servus Domino, ut filius Patri; sic servus obligat Dominum, sicut filius Patrem. Licet quædam sint actiones de Peculio, quæ dantur in Patrem ex contractu filii, non etiam in Dominum ex contractu servi.

Actio

Actio enim ex fidejussione filii de Peculio, Patrem petit, non Dominum ex fidejussione servi *L. 3. §. 9. ff. de Pecul. conf. Gotosfred. in Annot. ad. d. L. lit. G. qui dicit: in eo distat servus à filio, quòd non datur de Peculio contra Dominum ex fidejussione; contra Patrem verò semper, sive contrahat, sive fidejubeat, sive compromittat. Item l. 5. §. 2. ff. h. t. dicitur: Si filius familias jusjurandum detulit, & juratum sit, de Peculio danda est actio, quasi contractum sit, sed in servo diversum est. Quibus ex adversa acie opposita pro Servis militat l. 20. ff. de Jurejurando: ubi jusjurandum, quod Servus detulit, vel prestitit, servari præcipitur: Sed distinguendum inter obligationes Juris Civilis, & Juris naturalis; ex his obligari potest servus, & obligare, non ex illis l. 32. ff. de R. J. & sic defectus hic est Personæ, quam servus non habet, non effectus Peculii, nam Peculio tenus etiam obligationem Civilem acquirit Domino servus, sicut Patri filius; licet servus ex sua persona non sit obligationis capax; quod potissimum in fidejussione procedit, hæc enim fit per stipulationem, quæ Juris Civilis est etiam origine. Hopp. in Exam. Instit. de Fidejuss. q. 2. Et sic nec fidejubere, nec compromittere, nec in judicium venire, nec jusjurandum deferre servus potest, quod filio conceditur, cum Personam liberam sustineat. l. 32. 107. ff. d. R. J. l. 6. 7. ff. de Judic. Quoties igitur LL. de obligatione servi loquuntur, toties obligatio est naturalis & Peculiotenus. d. l. 37. ff. d. R. J. Sed de obligatione & actione ex Peculio plura suo loco dicemus; modo stat firmum tam ratione Causæ efficientis, quam effectus Peculium Profectitium æquè Servo ac filio convenire.*

§. IV.

Natorum Patriâ primum ratione profectum est;

Matris, & externâ postmodò manat ope.

Filii familias Peculium aliud est Paganum, aliud militare;
B illud

illud iterum vel Profectitium, vel Adventitium. Profectitium est, quod ex re Patris, aut ejus intuitu citra militiæ causam ad filium pervenit §. 1. *Inst. per qu. pers. cuique acquir. l. 7. pr. ff. de donat. l. 46. ff. de Pecul. l. 18. in fin. 19. ff. de pignor. act.* Hoc dependet in totum à voluntate Patris argum. *l. 4. §. 2. ff. b. t. Lauterb. in Comp. Jur. eodem*, Fit consensu Patris, vel expresso. *d. l. 4. pr. ff. hic. vel tacito l. 49. pr. ff. b.* Si sit traditum; mera enim verba nihil conferunt Peculio. *l. 8. ff. hic.* Non nisi ex re Patris, & occasione illius, non aliunde acquiritur. *l. 6. C. de bon. qu. liberis.* Quomodo autem occasione Patris? quando scilicet, quod Patrem concerneret, filio offertur. v.g. Si cliens Advocato processum gerenti, finito processu præmium offert, illo verò recusante, in vim gratitudinis filio ejus 100. taleros donat; hoc occasione & intuitu Patris filio obvenit, & spectat ad Profectitium; ejus tam proprietatis, quàm usufructus Patris est. Quinimò etiam possessio *l. 93. ff. de R. J. l. 44. §. 4. ff. de usurp. & usucap.* Quicquid enim filius apprehendit peculiari nomine, statem Pater ejus possidet. *l. 4. ff. de acq. rer. Dom.* Habet id commodi filiusfamilias ex hoc Peculio, quod si in emancipatione illi non adimatur, donatum censeatur. *l. 31. §. 2. ff. de donat.* Si Patris bona à filio occupata, filius id Peculium præcipuum habet. *l. 3. §. 4. in fin. ff. de minor.* Administrationem rerum ad id Peculium necessariorum tenet. *Adventitium est*, quod non ex re Patris sed aliunde extra militiam filio honestè obvenit. §. 1. *Inst. per qu. pers. cuique acq. l. 6. pr. C. de bon. qu. liber.* Conferunt illud Mater, cognati, Patrini, omnes extranei. Peculium Adventitium, vel est regulare seu ordinarium, vel irregulare, seu extraordinarium. Regulare seu Ordinarium est, quod nudâ tantum proprietate est separatum à rationibus Patris. *Lauterb. in Comp. Jur. b. t.* Acquiratur ex bonis Maternis, & ab iis, qui sunt ex prosapia materna: *l. 1. 2. C. de bon. Matern.* Lucra ex spon-

sponsalibus & nuptiis, data Jure legati, propriâ industriâ non ex-
 re Patris acquisita huc spectant *l. 1. 4. C. de bon. qu. liber. §. 1. Inst.*
per. qu. pers. cuiq. acqu. Rationes tamen Pater non reddit ex Pec-
 ulio Adventitio regulari, nec inventarium conficit. *l. 6. §. 2. l. 8.*
§. 4. C. de bon. qu. liber. Qui enim non tenetur ad rationes
 reddendas, ille nec ad inventarium; quia inventarium est
 fundamentum rationum. Tenetur tamen conscribere quan-
 dam bonorum consignationem, ut inde constet filio, quanta
 fuerint bona materna. Irregulare seu Extraordinarium est,
 quod pleno Dominio à rationibus Paternis est separatum. Hic
 ne quidem ususfructus Patri competit, sed filius pleno domi-
 nio rem tenet. *Hopp. ad tit. per qu. pers. cuiq. acquir. in Exam.*
Inst. q. 17. & alii comm. D. D. ut si quid eâ lege detur filio, ne
 Pater usumfructum acquirat. *Nov. 117. c. 1.* Si Patre dissen-
 tiente aliquid obvenerit filio. *l. fin. pr. C. de bon. qu. liber.* Si
 filius hæreditatem fratris sui capiat ab intestato *Nov. 118. c. 2.* Si
 Pater Juri suo renuntiaverit, & usumfructum filio concesserit
arg. l. 5. §. 5. de Jur. Dot. Filiusfamilias de hoc Peculio liberè
 disponit. *Nov. 117. c. 1. §. 1.* Non etiam testatur *arg. pr. Inst. qu.*
non est permitt. fac. test. l. 11. C. qui, test. fac. poss. vel non. deest
 enim requisitum legale in filio, quod non sit Paterfamilias,
 nec habeatur pro tali, ut in Peculiis Castrensibus, & Quasi
 Castrensibus.

§. V.

*Intuitu mortis eognata Peculia donat;
 Testari nullâ conditione potest.*

Specialis quæstio est, cur filiusfamilias non possit de Peculio
 Adventitio extraordinario testari, nec codicillos facere,
 quod tamen pleno jure Dominii ipsi competit; possit verò
 inter vivos, & mortis causâ donare? disponit id expressa *Lex. 25.*

B 2

§. un.

§. un. ff. de donat. mort. caus. Filius familias, qui non potest facere testamentum nec voluntate Patris, tamen mortis causâ donare, permittente Patre, potest. Idem infertur ex argum. l. 37. pr. v. vel enim paganum est Peculium. C. de inoffic. test. l. 3. §. un. C. qui testam. fac. poss. vel non. Et quidem ita certum hoc est, ut ne dubitare liceat, cum communi Doctorum sententiâ sit comprabatum. Struv. in Syntagm. J. C. exerc. 32. tb. 7. Joan Dominicus Martuc. Variar. explan. lib. 1. c. 32. De ratione tantum solliciti sumus, ob quam filiofamilias mortis causâ donare, non etiam testari, permittatur. Recurrere in hoc casu ad l. 20. ff. de LL, quæ non omnium rationem reddendam, quæ à Majoribus constituta sunt, asserit, prorsus improvisum est, cum hic discrimen inter voluntatem ultimam in testamentis, & mortis causâ donationem, necessariò fundamentum requirat; itaque rationem adducimus, quam aliàs communi voto susceptam asserunt D. D. quia hæredis institutio, quæ est principium, & finis, ac caput testamentorum §. 34. Inst. de legat. non potest pendere ex alieno arbitrio. l. 32. pr. ff. de hered. instit. Unde potest consensu Patris filius familias mortis causâ donare; quippe cum in donatione mortis causâ hæredis institutio non exigatur, nec dependentia ab alterius arbitrio illi obstet: testari verò, aut legatum relinquere ob eam rationem minimè valet. Subscribit huic rationi, quam primo loco ponit Illustrissimus D. FUCHS Consiliarius statûs Intimi Serenissimi Elect. Brand. in perpetua Paraphrasi Instit. ad. tit. quibus non est permiff. fac. testam. Ubi & alteram subiicit causam: quòd testamenti factio sit publici Juris, cui privati derogare non possunt. ex l. 15. §. 1. ff. ad L. Falc. Nos ultimam adieimus, quòd generaliter nunquam Jura videantur permisisse facere testamenta, ei, qui alieno Juri subjectus est: ideoque Lege XII. Tabularum sancitum est, ut non nisi Paterfamilias, qui sui
Juris

Juris est, id possit condere : *Paterfamilias uti sua rei legasset, ita Jus esto.* Ex his verbis colligitur, neque per testamentum, neque per codicillos filiumfamilias posse aliquid disponere, qui enim testamentum condere nequit, codicillos quoque facere prohibetur. Sed dices : potest filius familias de Castrensi & Quasi-Castrensi Peculio testari, & tamen est subjectus Juri Paterno ? Resp. Filius familias de Castrensibus, & Quasi-Castrensibus Peculiis, ut Paterfamilias testatur ; sub qua Juris fictione consideratur, quasi homo sui Juris, non ut filiusfamilias ; quæ fictio Juris cum non possit ad Peculia Adventitia extraordinaria extendi, nullâ ratione filiofamilias de illis testari conceditur.

§. VI.

*Ex acie, vel ob hanc, Castrensia præmia gestat
Filius, & pleno possidet illa foro.*

Altera pars hujus divisionis est Peculium militare, quod aliud est Castrense, aliud Quasi-Castrense. Castrense est, quod Imp: Constitutionibus in fauorem militiæ armatæ pleno jure à rationibus Paternis est separatum. *l. 11. 12. ff. de Castr. Pecul. l. 1. Cod. eod. pr. Inst. qu non. est. permiss. fac. test.* Omne quod filio intuitu militiæ datur, seu in bonis mobilibus, seu immobilibus ex pecunia in militia acquisita comparatis hic cedit *l. 1. C. de Castr. Pecul. l. 4. C. fam. hercisc.* Potest insuper hæres institui, manente in peculio Castrensi hæreditate, filius, si ejus notitiam, amicitiamque, à quo hæreditatem accepit, in bello primùm sibi paraverit. v. g. Si ejus commilito hæredem eum in bonis suis instituerit. *l. 8 ff. de Castr. Pecul.* Secus tamen dicendum est de hæreditate Materna, quæ nunquam in Peculium Castrense venire potest. *l. 1. C. de Castr. Pecul.* Res præterea emptæ pecuniâ ex Peculio Castrensi, etiam prædia,

manent in eodem Peculio, d. l. 1. C. de Castr. Pecul. quia Peculium est universitas, ut definit *Habn in obser. theor. pract. n. 3. b. t.* In universalibus verò pretium succedit loco rei. Ad hoc Peculium, Feudum est referendum, quippe quod servitorum militarium intuitu confertur. *Stryk. in Exam. Jur. Feud. c. 10. q. 14.* Dominium plenum Peculii Castrensis adhæret filio. l. 6. pr. C. de bon. qu. liber. Dispositio itidem arbitrio ejus subjacet. l. 2. 4. §. 2. ff. de Pecul. Castr. Imò & testari de rebus Peculii Castrensis licitum ei est. pr. Inst. qu. non est permiff. fac. test. l. 2. ff. de Castr. Pecul. quia hîc habetur pro Patrefamilias l. 2. ff. de Scto Macedon. Zœf. ad tit. de Castr. Pecul. n. 1. Unde & obligationem sibi in illo acquirit. *Habn. in obser. theor. pract. n. 4. hîc.* Quasi Castrense Peculium est, quod occasione togatæ militiæ, seu muneris cujusdam publici filio honestè quæsitum est l. ult. pr. C. de inoff. testam. Idem Juris habet ac Peculium Castrense; est enim ad quandam Ideam armatæ militiæ institutum l. 50. C. de Episc. & Cler. Quæritur, quis Causa efficiens horum Peculiorum? R. (1) est Princeps. *Lauterb. in comp. Jur. b. t.* Principum enim indulgentiâ factum, ut id quod filius in militia, vel occasione militiæ acquisierit, non caderet sub Patris arbitrium. *L. omnes. un. d. Castr. omn. Pal. Pecul.* (2) Ipse Pater, cum aliquid filio occasione militiæ donavit. l. 11. ff. de Castr. Pecul. Cum verò tunc donat, ubi mereri stipendia desiit, non est Peculii Castrensis *L. 15. ff. eodem.* (3) Cognati. d. l. 11. (4) Externi quicunque l. 39. ff. de Pecul. Præter filium constituunt etiam subjectum passivum Peculii Quasi Castrensis (1) Proconsules, & Provinciarum Præsides. l. fin. pr. C. de inoff. test. (2) Assessores. l. 7. C. de Assess. (3) Advocati. l. 4. C. de Advoc. 1. (4) Doctores, Professores. l. fin. pr. C. de inoff. Test. (5) Publici Ministri. (6) Procuratores Camerae, Judices. *Bachov. de Act. D. 8. Coroll. 2. p. 141.* (7) Clerici. l. 50. C. de Episc. & Cler. non mi-

minùs enim illi videntur insudare bono publico, qui integritatem animorum & salutem animarum procurant, quàm qui salutem Reip. & Civium incolumitatem corporalem promovere student. (8) Studiosi *arg. l. 1. C. de Castr. Pecul. L. utius de priv. stud. priv. 6.* Et quidem aliæ liberalitates Principum veniunt intuitu meritorum; Princeps enim non præsumitur alicui donare, nisi arte, vel Marte meruerit. *arg. l. 1. C. de Castr. omn. Pal. Pecul.* Ubi expressa Constantini Imp. verba id ipsum indignant: *Non alieni sunt à pulvere & labore Castrorum, qui signa nostra comitantur, quos intentos & eruditos studiis, itinerum prolixitas, & expeditionum difficultas exercet.* Alia beneficia sublevandæ inopiæ causa conferuntur: multos enim, quos sanguis, & eruditio, & virtus extulerunt, fortuna depressisset, nisi magnorum Virorum gratia eos sublevasset. *Magnum viris Generosis pauperies opprobrium* (ait Politicus) *turpisq; cum egestate lucta; & qui secum occupati sunt, ingenium nec Principi, nec Reip. impendere valent, tardeque nuda virtutis alis subnixi, in Regiam solis evolant.* *Joban. Hieron. Im-Hof. in sing. Polit. rat. statùs septimâ.* Refert Svetonius de Nerone c. 9. quod Senatoribus in re tenui constitutis, annua salaria designaverit; Valerii Messallæ nobili familiæ peculiarem honorem habuit, Collegæ suo in tertio Consulatu oblatis in singulos annos quingentis sestertiis, quibus paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio Cottæ & Haterio Antonino annuam pecuniam statuit. *Tacit. 13. Annal. c. 34.* Et ita Imperator aliàs sanguinis Civium prodigus, se ipsum in liberalitate Civibus effudit. Optimè id Claudianus Honorio suo inculcat:

*Tu civem, Patremque geras, Tu consule cunctis,
Non Tibi; nec Tua, Te moveant, sed publica vota.*

Rex Aragoniæ Alphonsus dicebat: Regum imprimis studium & officium est, populares suos locupletes efficere. Amamus

eam

eam in Serenissimo Nostro Principe FRIDERICO III. *Elect.*
Branden. liberalitatem, Laudant ab exedris & rostris Acade-
miæ, attollunt Curia, efferunt fora, omnes denique Cives
(cum Plinio loquor) ab infantia Parentem publicum munere
educationis experiuntur. Crescunt TIBI PRINCEPS, an potius
PATER & NUTRITIE SERENISS. alimentisq; Tuis ad Stipen-
dia Tua perveniunt Cives; tantumq; omnes uni Tibi, quantum
Parentibus suis quisque debent. Jactamus *Tuam* in nos quoq;
munificentiam, & illud *Tibi*, quod Claudianus suo Stiliconi,
assiduò canimus: Ad *Tuae* Clementia radiis

- - - *Non obrata virtus*

Paupertate latet; lectos ex omnibus oris
Evebis, & meritum, non qua cunatula queris.

Et qualis, non unde satus. Sub teste benigno
Vivitur; egregios invitant premia mores.

Hinc prisca redeunt artes, felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, despectaque Musa.

Colla levant.

§. VII.

Quærit Hero tantum Civilia vincula Servus,
At natus pariter se ligat, atque Patrem.

NAscitur ex Peculio obligatio, ex obligatione actio, utra-
que hic sub pennam fluet. Sciendum imprimis est, quod
servus nunquam sibi, sed semper Domino ratione Peculii
obligationem Civilem acquirat. *Habn. in obser. theor. pract.*
n. 4. b. Nam, quia obligatio civilis, est vinculum Juris Civilis,
servus verò civiliter pro nullo habeatur *l. 32. inf. ff. d. R. J.* quo-
modo tali, vinculo, cujus est incapax, obligabitur? *l. 14. 43. ff.*
b. r. imò etsi liber contraxerit, postea verò servus factus, ser-
vitude (malignantis adeò naturæ) extingvitur obligatio, nec
restit-

restitutione redit. *l. 30. ff. d. O. & A. confertur Struv. in S. J. C. Exerc. 6. th. 41.* Ex persona tamen Domini validè contrahit, ubi non cessat causa peculii; & sic Domino Civilem obligationem quærit. *l. 1. ff. d. Inst. act. Zæsius in comm. ad lib. ff. d. O. & A. n. 54.* Nam in persona Servi, ne momento quidem potest obligatio Civilis subsistere. Ex delictis civiliter iis obligatur, contra quos peccavit, quibus & manumissus obligatus permanet, ut cum eo agi possit *l. 14. ff. d. O. & A.* Obligatio siquidem ex delicto, cum capite ambulat. Domino ex delicto non obligatur servus, qui eum pro suo imperio castigare potest. *l. f. C. an servus pro suo facto.* Naturaliter tamen obligationis est capax Servus *l. 14. ff. d. O. & A.* quia naturaliter omnes homines sunt æquales. Absolutâ brevibus obligatione servili, ad obligationem filiifamilias convolamus. Is cum habeat liberam personam, obligatur ex omnibus causis, etiam ex delicto *l. 39. ff. d. O. & A. l. 44. ff. b. t.* In mutuo sumpto, exceptio Senatusconsulti Macedon. illi succurrit. *Zæf. in Comm. ad t. d. O. & A. n. 53.* Patri tamen non obligatur, nisi quoad peculium castrense, & Quasi, ubi pro Patrefamilias habetur, ut *supr. §. 6.* diximus. Potest ergo filiusfam. contrahere, compromittere, fidejubere, jusjurandum deferre creditoribus *l. 3. §. 9. ff. b. t.* Ratione peculii, ut servus Domino, ita Filiusfam. Patri obligationem acquirit; illi namque concedendo peculia, contrahendi potestatem tacitè concessisse censentur. Inde conveniuntur actione de Peculio servi vel Filiifam. Peculium hinc filiifam. Profectitium intellige; nam de Castrensi & Quasi, & adventitio, non datur hæc actio *l. 18. ff. d. Castr. Pecul.* quia ex peculio Castrensi & quasi, ipse filiusfam. pro se contraxit, adeoque ipse actione petitur: Ex adventitio ipse Pater, ut legitimus administrator. Neque ex delicto Patrem obligat filiusfam. *l. 58. ff. d. R. J.* Nam delictum, suum tenet autho-

C

rem,

rem; nisi locupletior sit factus ex delicto Pater l. 3. §. 12. ff. h. t. quia iniquissimum est, vg. ex furto servi vel filii, Dominum vel Patrem locupletari impunè. l. 1. §. 20. 16 ff. d. vi & vi arm. l. 30. pr. ff. d. act. empt. l. 6. §. 2. ff. d. act. rer. amot. l. 24. ff. d. acq. poss. l. 11. C. quodcum eo qui in aliena potestate. Item si filiusfam. fuerit in iudicio condemnatus; nam in iudicio quasi contrahitur; & sic non origo iudicii spectatur, sed iudicati obligatio l. 3. §. 11. ff. h. l. 57. ff. d. Judic. l. 35. ff. d. noxal. act. Item in casu, ut habetur. l. 3. §. ult. ff. h. adde l. 1. C. quod cum eo qui in alien. potest. Actio hæc de peculio est personalis, nam contra Personam Patris vel Domini datur, l. 21. §. f. ff. h. t. Bachov. d. act. D. 8. th. 9. p. 114. Adjectitia tamen est, & conjungi debet principali; vg. actio de peculio locati conducti, actio empti de peculio. Brunn. ad t. d. Pecul. q. 5. Datur ex contractu servi, vel filii fam. adversus Dominum, vel Patrem, ut Creditoribus satisficiat, quatenus vires Peculii hoc patiuntur; deducto eò quod ipsi à filio vel servo debetur. §. 10. Inst. de act. §. 4. vers. cum autem queritur. Inst. Quod cum eo qui in alien. potest. est, negot. gest.

§. VIII.

*Filius in solidum, Genitor pro parte Peculii,
Quod pateris, damnum sarcit uterque tuum.*

Non solùm autem Pater ex peculio filii profectio peculiotenus, sed ipse filiusfam. cum liber homo sit, & obligationis capax in solidum conveniri potest. l. 44. ff. de Pecul. Si quis cum filiofam. contraxerit, duos habet debitores filium in solidum, & Patrem de Peculio. l. 57. ff. de Judic. l. 39. ff. d. O. & A. verba legis: Filiusfam. ex omnibus causis obligatur, tanquam Paterfamilias, & ob id agi cum eo potest, tanquam cum Paterfam. Conf. Struv. in Syntagm. J. C. Exer. 20. th. 47. Filii verò, in-

inquit ille, in omnibus causis tanquam Patresfam. obligantur,
ac in solidum conveniri possunt, licet executio, cum nihil
habeant in bonis, differatur, quamdiu in potestate sunt. *l. 5.
pr. ff. quod cum eo qu. in al. potest. l. pen. C. qu. bon. ced. poss.
Item Struv. Exerc. 9. th. 6.* Quodsi postea filiusfamilias non sit
haeres institutus, vel in modica tantum parte portionem
hereditatis acceperit, dicendum est, quod licet vivo Parente
conventus sit in solidum, in executione tamen tantum solvit,
quantum potest. *l. 2. 3. 4. 5. ff. quod cum eo qui in al. potest. nisi
contrahens se Patremfamilias simulaverit, vel ex delicto con-
veniatur, tunc enim beneficio competentiae non est locus,
sed tenetur in solidum l. 4. §. 1. eod. Struv. Exerc. 20. th. 40.*

§. IX.

*Est hodie servus contermina Rustica proles;
Filius ex aequo jura Paterna subit.*

EXolevisse hodie usus Peculii servilis cum servitute videtur,
cum omnes ejusdem corporis, Christi scilicet, membra
eodem sanguine redempti, sublatâ ejusmodi inaequalitate, in
libertatem filiorum Dei asserti sunt; adeoque Christianus
orbis sub uno capite, unius Reip:, Ecclesiae videlicet, mem-
bra in liberos & servos distinguere noluit. *Excell. D. Johan.
Christoph. Boltz Disp. II. ad titulum d. Stat. hom.* Aliqualiter
tamen adhuc homines glebae adscripti, rustici extra civitatem
agrum colentes, ex servili participant conditione; quatenus
scilicet cum liberis, & propagine, praedio, & glebae sunt addi-
cti, & quasi portio fundi Dominorum praediis adjacent. *Mev.
P. 1. dec. 69. n. 1. & P. 8. dec. 224. n. 1.* Unde & liberi ex illis
nati eandem sequuntur conditionem, nec discedere sine con-
sensu Domini ex praedio possunt. *Mev. P. 4. dec. 22.* Profugi

C 2

verò

verò à Dominis capiuntur, includuntur, castigantur, venduntur, locantur, pignorantur; Judiciis petitoriis & possessoriis vindicantur, defenduntur. *Struv. exerc. 3. tb. 22.* Uxorem liberam ducere non possunt. *l. ult. C. de agric. & Censit.* Una cum terra venundantur *l. 7. 21. C. d. t.* In Gallia, Burgundia, Campania, Avernia, manus mortuæ vocantur, de quibus *Hotom. tom. 2. Consil. 2. 4. & 107.* In Polonia Nobiles, Romanam in rusticos servitutem sibi arrogant, licet id abusu dicat prorsus introductum *Thom. Dresner. in Instit. Jur. Regn. Polon. l. 1. t. 21.* Hoc tamen non obstante, cum liberos eos, & jure liberorum utentes communiter D. D. asserant, habere possunt plenum Dominium suæ qualisqualis fortunæ, quam per operas suas, quatenus his nihil decedit servitiis Domini, sibi acquirunt. Ideoque non amplius Dominis obligationem quarunt, sed sibi; contrahere, fidejubere, in judicio sisti possunt, actionibus ipsi conveniuntur; quia nulla illorum quaesitæ sortis portio, est in manibus Dominorum; nisi forsan illa quam mercenarius Locator apud conducentem Dominum habet. Filiorum tamen hodie, non eadem est ratio, qui hâc etiam ætate peculia Adventitia apud Patres habent. In plerisque enim Germaniæ locis adhuc usum fructum in Peculio adventitio ordinario Pater habet. *Hopp. in Comm. ad Inst. tit. 9. per qu. pers.* Idque fit etiamsi liberi non vivant de pane Patris, sed aliunde. *Carpz. P. 2. c. 1. def. 7.* licet iste usufructus non amplius ad dies vitæ Patris durat, sed eousque, dum liberi separatam Oeconomiam, & propriam rem familiarem instituerint; tunc enim Pater non retento sibi usu fructu tenetur plenariè omnia bona filium concernentia restituere, ut scribit *Matth. Bertich. Part. 2. conclus. 11. n. 64. de Jur. Saxon.* qui adducit *Const. Saxon. l. 1. art. 11.* Idem obtinet in Marchia Brandenburgensi *Brunn, ad l. 4. in fin. C. de Bon. qv. lib.* In
Du-

Ducatu Württembergico eousq; usum fructum Peculii Aduentii Pater habet, quousque nuptias filii non contraxerint. *Hopp. in Comm. Instit. ad tit. per. qv. perf.* Alibi majorennitate superveniente plenum Dominium filius rerum suarum consequitur. In Saxonia mortuo Patre etiam Matri competit usufructus propter onus educationis & alimentorum. *Struv. exerc. 12. 1b. 5.* quod tamen ei competere, negat *Carpzov.* cum nullam Matres in liberos potestatem habeant, & sic nec Jus ad percipiendos usus fructus. *P. 2. C. 10. def. 13.* Hinc sequitur etiam hodie per filium potestati Paternæ subjectum, ratione Peculii Adventitii obligationem Patri acquiri. Si enim percipit commoda ex usufructu, ferre debet & onera ex filii contractu. Actio de peculio profectitio hodie tunc locum habet, si parens filium in convictu retinuerit, eidemque ad certam negotiationem peculium concesserit. Quoad peculium castrense, & quasi castrense hodie nihil immutatum, cum filiusfam. adhuc utriusque plenò dominiò fruatur, ex eo solus conveniatur *Jur. Pr. Lib. 1. Tit. 19. §. 3.* deque illo testamentum, ut paterfamilias condere possit *Jur. Prut.*

l. 5. Tit. 1. Art. 1. §. 5.



C 3

Gra-

GRatulor, & meritô, dum tantos
furgis in ausus,
Magnaue das genii nunc do-
cumenta Tui.

Nil Te trita juvant; animæ dent illa
minores:

Tu nobis Juris nobile thema paras.
Hæ sunt primitiæ; nam messes inde
sequentur,
Hæc ego dilecto prima, secunda
precor.

*Hiscæ, ex vinculo amicitia arctissimo, cordi suo
intimè annexo assurgere voluit, Nobili ac
Generoso Dn. Respondenti*

JOHAN. GODOFR. COLBIUS,
Til. Pruss. LL. Stud.

TE sibi cœlipotens cupiebat Apollo
Poëtam,
Mercurii ore Tuo svada reculta
fuit.

Te-

Teque Stagyra suo voluit rapuisse
Lycæo,
Myrtam Te vidit Theologia suum.
Omnium ut expleres Divarum vota
Sororum,
Uno, cunctarum munera, Jure
colis.
Quos-hæc-cunque paret, vis scire,
scientia fructus?
Fortunam ad quamvis Dux erit
illa Tibi.

*Pauca hæc in luculentissimam Φιλαδέλφιας
παιδείαν Generoso atq; Docto Domino
Respondenti gratulabundus addere
voluit*

JOHAN. FRIDER. KERSTEN,
LL. Stud.

Perge viâ Legum; tuta est hæc or-
bita fortis,
Omne Tibi pandent publica Jura
forum.

Quo-

Quo - Te-cunq; loco ponat Fortuna
statuque,
A causâ melior redditur ipse Tuâ.
Supplent majores *pauilla Peculia*
census,
Quos potes in longam Juris ha-
bere viam.
Ipse viæ, vitæque comes Tua cœpta
juvabo,
Quem *Lex pro Socio*, quem Tibi
stringit Amor.

*Ita Generoso Domino Respondenti Authori
apprecatur Amicus ad aras, & tumulum*

SIMON ZYWICKI, Eqv. Pol.
Jur. Aud.



Königsberg, Diss., 1686-94


ULB Halle 3
004 356 780




R
H.

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

JURIDICA,
into Digestorum

75 23
1693

CULIO,

emi Numinis,

JCtorum ordinis,

IDE

T CONSULTISSIMO
NO,

NE Stein /
P. P.

re suo dignissimo;

rò Auctore

TANISLAO

, Eqv. Pol.

onti Academia,

MAJORI

Proposita,

die Octobris.

REUSNERIANIS.